


ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO D.

PHILIBERTO DE BRICHANTEAV,

EPISCOPO AC DVCI LAVDVNENSI,

FRANCIÆ PARI, ANISIACI COMITI,

ABBATI SANCTI VINCENTII, &c.

C*LARIORA ſunt tua in me merita (PRÆSVL ILLVSTRISSIME) quàm vt cuiquam obſcurum ſit, cur has laborum primitias nomini tuo conſecrem. Erexiſti iacentem, nutantem firmaſti, & ſingulari benignitate ſuſceptum ad ardua quæuis & laborioſa certamina hortari non deſtitiſti. Quid prius aut antiquius mihi eſſe debuit, quàm vt quo poſſem obſeruantiæ monimento præſtarem me huius gratiæ non immemorem? Si fideliſſimo clienti non denegatum hactenus patrocinium proroges, & in recondita Æſculapij ſacraria ſubire ſatagentem, authoritate tuâ fulcias; tuum erit ſecundùm Deum quicquid opis hominibus Ars noſtra contulerit. Interea vitam tibi cum felicitate longiſſimam exopto, iiſdem votis & animis quibus in perpetuum tuus haberi velim obſequentiſſimus.* Vale.

IOANNES GARBE S. P.

22

QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIX. IANVARII,
M. IOANNE COVSIN, Doctore Medico, Præside.

An quæ ſeriùs nubunt, difficiliùs pariant? 907.

FOECVNDITAS omnium Naturæ virium Princeps, perfectarum animantium inquilina, tota in ſobole laborat: meliùs ſi ſingulari, deteriùs ſi gemina, tergemina: at Naturæ lege ſemper ſimili, quæ nec molam facit, nec Hermaphroditum, nec aliud monſtrum. Viget illa blandi caloris conſortio, eiuſque quod in humore eſt ἰκμαλέον, vbertate gratiſſima, quâ bruta ſolùm catulliunt ſpirantibus Fauoniis. Vnus homo velut exlex, pari naturæ indulgentia, liberrimè quouistempore coit & parit, quanquam illi florens anni corporiſq; ætas commodior præ cæteris, reſtibili fœcunditate locupletiſſima, cuius incentiua inſtauratæ à ſomno vires pollucibili cœna, præſertim humectiore, non Nymphis, ſed recto Baccho. Teſtes authores vitæ melioris, quâ glandulæ, in humido corpore rore genitali turgent feliciùs, quem nulla genitoris iniuria, haud ingratiis, ſic fœnerantur vtero etiam auidiùs occurſanti: hinc areſcunt vetulis licet in humido poſiti, teſtantúrque penduli in maribus decrepitis ἀϑάναι, vltimum fatum in ægris ἀνεσπασμένοι. Caue huius blanditijs carere putes ſexũ ſequiorem, ſemen vnius non eſt, ſed amborum, cuius diuortia fugit Natura, amat commercia, alitque hoſpitali ſanguine vterus, ſed συμμέτρῳ, licèt liberalis; quanquam ſibi pluſculum ſeruet, quò gratiſſimo oneri obſequentior additus, leuiores tutioréſque geſtationis & partus labores faciat; ideò mulieres πολύαιμοι κατὰ τόπους τινὰς, qui & ipſi circumiacentium partium humore licet excrementitio molliter vt innocenter intepeſcunt: adeo verum eſt Oceanum patrem rerum Veneris parentem profiteri.

SEMEN quia τοῦ ὑγροῦ τὸ ἰσχυρότατον, potentiore œſtro libidinis necnon acceptiore mares quàm feminas in brutis & hominum genere ſollicitat, quos vſus quàm vbertas facit ſalaciores, vt in feminis vna impotentia τῶν ἡγεμονικῶν, non par tamen omnibus ardor Veneris, vt nec gratia, nec votis æqua ſemper fœcunditas, quâ dum cadunt auidi, ſapientes mulctantur. Καταχορέες, aut qui lurido atræ bilis colore liuent, ſpe minore Venerem irritant potiùs quàm implent; parcitate verò menſtrui depauperant ſemen aridæ mulieres. Neque tamen quouis humore Venus alitur: pituitoſæ ad opus ſegnes, ægrè laſciuiunt, quibus tamen ſperabilis feracitas, ſi aſſiduo opere valetudinem ſic curent, vt neque præpingui aqualiculo ſpem fœtus perdant, aut morentur. Temperatiſſimæ omnium fœcundiſſimæ, quanquam non temperantiſſimæ (vt ſic raram virtutis & formæ mixturam putes) quas genitalis feruor ſanguinis non ſinit eſſe ἀταυρώτους, viragines vix natura retinet: virgines vnus pudor, qui ipſo ætatis vere ἀμυήτους, autumno primum ſubarari intempeſtiuâ permittat facilitate, quibus voto carere ſuo ſic contigit, aut periclitari: vna his in ſicciore totius & genitalium partium habitu labes, nullâ partus fiduciâ, ne ſi ſuo genio præter ætatem fecerint ſatis, ipſóque nectare & ambroſia vixerint. Intantùm ipſi fœtui inhoſpitalis eſt, denſus aridúſque vterus, quem in parturiginis infelicitatem ipſa quoque ſalſa, condíta pipere, θώρηξις, & vigiliæ pertinaciùs excoquunt.

MVLIERVM genus vitæ mollioris, delicatulo corpore, (quaſi quæ in vmbra nata,) ſeriùs in vtero fingitur, extra vero liberrima caloris artificis σκιλάμψι, priores vteri moras anticipat incremento maturiore; hinc ἄνω ἢ κάτω ὁδοὺς calori humorique prior virgûculis, queis duodecimo ætatis anno ſeriùs ocyùs corpotis incrementa feſtinãdæ Veneris ſtudio Natura præcipitat, cùm pandit ſeſéque explicat in genitalibus, non ſemper vtili, at innocente menſtruo perfundit, niſi refluum locorum anguſtiæ in partes ſuperiores damno interdum ſpirabilium traduxerint: cuius rudimentum, mammarum primò ſororiantium tumor inſolens in virgine, nonnunquam in viro, ſæpius in recèns nata lacte grauis: hinc prima fœcunditatis tempeſtiuæ teſſera, ipſâ menſtrui eruptione fidelior: tutiùs tamen feceris ſi lentè feſtines, nec prolis impatientiâ dum coniugis zonam ſoluis maturiùs, proprium alienumque robur exoluas, immedicabili maleficio παιδοποιΐας, cuius aliàs opportunæ ſtudia totum corpus ἐξικμάζει, & præcipuè τὸ κατὰ τὴν γαστέρα; vnde mutatur à venere flos & venuſtas oris, ſulcíſque aratur à partu abdomen, tardiùs licet minorique fôrmæ iniuria in πολυαίμοις. Quod ſi inter vteri otia, vigórem quæ ſequitur ætas demeſſuerit, vix importunæ veneris ſpicilegio aut voluptas venit, iam πεπειχυμένη aut ſpes matris, priuatæ naturæ parcimoniâ & φιλαυτίᾳ: quidni & deſuetudine immemori, veneris fluenta alueo pauperiore ſegniter deriuantis, malis vetularum virginum rebus, quæ ſæpius non naturâ, ſed Aphrodiſiis feriis cauſariæ?

NIMIOPERE iniurius es, ſi mulierem naturæ virum meditantis peccatum; parum æquus, ſi ad viri dotes conuerſus veluti πεπηρωμένον ζῶον crimineris: ipſa te huius imbecillitas fecit, non vſque adeo ignaua, quin ſupra virum habeat, vt ventrem ſequatur partus: hanc ei gratiam τὸ θηλυκὸν pigneratur, ac præ cæteris vterus cum ſemina miſcet aſſiduus amico operi, innato proliciendi menſtrui motu fouet blandiùs, alitque tanto geſtationis ſpatio quod genitum eſt: hæc vna in muliere pars veluti ζῶον ἀνυπήκοον τοῦ λόγου agit rapítque in ſua ſtudia totam partium familiam, turbáſque aut laſciuiam facit: inde primo veneris tyrocinio mutata totius temperies, argùmento vocis grauioris: & quid epilepticum paſſa captiuam jugóque ſubditam virginitatem tumidiore breuioréque ceruice prodit: hæc quippe certiora libatæ integritatis documenta, quàm fabuloſum eugium, locorum iſthmus, quem ars vt natura nouit, non vrina ſedimento commotior, aut fallacia ex ſuffitu πικμέλεια, an probanda ἐν ἀρχιοσαρκοτέροις? Ipſe quoque vterus morborum ξυναυξέων ἢ ξυντρέφων auerruncus expectatiſſimus, formæ dator; quare etiam non paucæ à prima venere aut puerperio venuſtiores, habitiores; quibus ſcilicet humoris adeſt vbertas, puritas deſideratur: is vnus denique felicis partus vindex & author, quo non propitio fruſtra Lucinæ litaueris, aut obſtetricem quæſiueris Carmentam.

VT igitur Ægyptum beat exundans Nilus, quantúmque creuit, tantum ſpei in annum eſt, proinde aut ſterilis annus aut fertilis, prout ille magnus influxit aut parcior: ita mirum quantum officioſa in ſpem ſobolis iſta locorum πλημμυρὶς, quam, vt per conceptus primitias temperat riuis humilioribus Natura, ne aliàs operam ſimul & artificem corrumperet, ſoluerétque neruos retentricis adminiſtræ, vt tum molliori imbre videatur in vterum depluere: ita vbi ſua ſe mole tutatur, ferè abſoluta τυπώσει fœtus auctior, ſolúſque in extremis labor eſt, pleno effunditur alueo πρὸς τὸ εἶναι ἢ αὔξησιν κατὰ φάμην: quidni ad partum quoque? Neque idcirco ſecutum vteri & abdominis tumorem, morbum ſine ſcelere dixeris, cuius ipſa parturigo criſis ſit. Abſit vt eas vteri fœcundè prominuli moleſtias aut ſalutares ὠδῖνας, ſeueriore verbo ſymptomata nuncupes, non minùs quam ſuetum à cibo rigorem; etſi ſine morbo aridæ καὶ δύσιχμοι nec ferunt, nec reddunt. Quanto etenim ipſe ſibi primùm obſtetricaturus vterus alluuius vtili humore τὰς χώρας alluit & oblinit, quò rigor ſolidarum partium facili ad εὐτοκίαν laxitate lenteſcat, tanto in illis ſqualidior ſtrigoſiórque, etiam vltro cedentem remoratur, irrito ſæpius omni conatu fœtæ & fœtus, aut funeſto vtrique vel alterutri: vt ſic vocatam pro Lucina Libitinam putes; aut nullo iure, ſumma iniuria diuiſum inter illas imperium, niſi hæc illam præuortat, triſti interim poſthumæ prolis beneficiò, quæ frequentiùs octimeſtris, at nonimeſtris licet, aut quod vltimum ſperare eſt decimeſtris, nunquam tamen ἠλιτομήνων carebit pœnâ.

Ergo quæ ſeriùs nubunt, difficiliùs pariunt.

Proponebat Lutetiæ IOANNES GARBE, è Familia Laudunenſi A. R. S. H. M. DC. XLIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Couſin, Præſes.
M. Rolandus Merlet.
M. Stephanus le Gaigneur.



M. Petrus Bourdelot.
M. Quintinus Theuenin.
M. Guido Patin, Scholarum Cenſor.



M. Ioannes Texier.
M. Robertus Tulouë.
M. Dionyſius le Soubs.

